



Theodorus apud Heluetios natus, ob ingenij felicitatem operam literis dedit, & artium aclin-
 guarum fundamenta optimè iecit. Inde ad docto-
 rum hominū gymnasia accessit, atq; varijs linguis
 perceptis, studio Theologico incubuit. In eo quo-
 que adeò profecit, ut incomparabilis doctrinæ, e-
 loquentiæ, ac tribus in linguis præstantiæ censere
 tur. Huc accedebat pietas, atq; uitæ innocentia. I-
 taq; Tigurum reuerfus sacrarum literarum profes-
 sor constitutus fuit, eam uocationē is suscepit, atq;
 diu magna laude absoluit. Scripsit Theodorus
 plurima, atq; Tiguri & Basileæ anno circiter 1540
 edidit. utpote orationem ad enarrationem Esaiaë

de sermone Prophetico: purgationem scriptorum Oecolampadij & Zuuing-
 glij: Alcorani textum emendauit collatis exemplaribus Latinis & Arabibus,
 ac marginibus annotationes apposuit, quibus Mahumetanæ doctrinæ absur-
 ditas, contradictiones, origines errorum, diuinæq; scripturæ deprauationes,
 atq; alia id genus iudicantur. Nahum Prophetam ex Hebræo Latinè reddidit:
 Vaticinium de restitutione Israëlis exposuit, & rationem bellandi contra Tur-
 cas docuit. Postea quoq; Hebraicam Grammaticam composuit, atq; opus com-
 mentariorum de Ebraica lingua, item de numeris, ponderibus, & mensuris di-
 uinæ scripturæ libris 4 comprehendit. Compendium Theologiæ ex Augusti-
 no collegit, atq; Chronologiæ demonstrationes publicauit. Quin etiam Chri-
 stianam & Catholicam doctrinam & Ecclesiam ostendit, atq; S. Marci Euan-
 gelicam historiam contexit, cum multis alijs huiusmodi. Cum hoc modo
 Theodorus suis lucubrationibus sibi magnum nomen comparasset, atq; tan-
 dem ob ingenij excellentiam nouas & hætenus insolitas quæstiones moue-
 re cœpisset, suæ authoritati aliquid decessit, postea annos circiter 50 natus 1560
 obiit, & terræ mandatus fuit. Con. Gess.